

spexerim non iniucos tibi fuisse, deinceps, & quos modo tibi nuncupatos volo, & cæteros, quos in posterum intueberis; non enim iniucundos futuros tua summa clementia fretus existimo. Illud autem plurimum habet momenti, quòd cum omnibus virtutum ornamentis me affectum, esse desiderem, nihil tamen est, quod malim, quàm me, & gratum esse, & videri, vt cum Sapientissimo loquar, cui hæc vna virtus maxima nedum, sed reliquarum mater, & alrix videbatur. Perge Serenissime Princeps; Maiorum enim videberis immortalis cum laude vestigia repetere, qui calcando substructam virtutibus viam ad gloriam nomen, æternitati commendarunt. Hinc tamen pace dixerim Celsitudinis tuæ, tibi solùm id splendoris affulget, quod argumento sit, te debere ijs acceptam referre Virtutem, quasi non proprijs sudoribus, sed quodam hæreditario iure comparatam.

Siquidem hæc, de qua Posteritas gloriatur, in illis primùm illuxit, adeo vt, in posteris virtutis iubar aliunde transfusum, præclaros itidem alienos labores præferat, atque testetur. Maiores enim nobis liberalissimè Fortunæ bona, nedum, sed animi, hoc est Virtutum ornatus laborum, suorum tolerantia; dignitatem, splendoremq; nominis præclarissimis gestis; famæ perennitatem propriæ vitæ discrimine pepererunt.

Ne igitur me quispiam carpat, quòd ad Emblematis vniuerso huic Operi præfixi limina, Profapiam inclytam honoribus profecutus, cecinerim.

*Græcia quas peperit, claris quas vexit Athenis
Artes, quas aluit, perficit vna Domus.*

Medicea siquidem Regia semper literarum asyllum, veluti templum Mineruæ sacrum, bonis artibus, ac disciplinis instructos, in inclinatam, & prope iacentem fortunam deiectos, vtpote illos, quibus nascentibus dicta lex est, nunquam, vt fortunato sidere vterentur, summa clementia, summaque munificentia suscepit, ne ab ijs rebus forent imparati, sine quibus frui lucis vsura non licet. Quo cuique, fatendum, solùm apud Heroes Medicæ Gentis datum esse, felicissimam vitam traducere, ijs nimirum, qui literarum
studijs